

Dissertatio inauguralis medica de nyctalopia / [Franz Kraft].

Contributors

Kraft, Franz.
Reil, Johann Christian, 1759-1813.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halle : J.C. Hendel, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tq7yzu3u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
NYCTALOPIA.

QVAM CONSENSV
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
JOANN. CHRIST. REIL

MEDICINAE AC CHIR. DOCT. PROFESS.
THERAPIAE P. O. SCHOLAE CLINICAE DIRECTORE
ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
RITE CONSEQVENDO
DIE XV. OCTOB. MDCCXCI.

PVBLICE DEFENDET,
AVCTOR
F R A N C I S C V S K R A F T
FREISTADIO - SILESIUS

HALAE,
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII,

СЕГОДНЯ
АПОЛЛО

БЫЛО
АПОЛЛО

СИДІЛ
ДЕНЬ

ВАЛЕНІ
ДОЛІ

ДОЛІ
ДОЛІ

ДОЛІ
ДОЛІ

V I R O
DIGNISSIMO ET SVMME
VENERANDO
FRANCISCO KRAFT
PATRI OPTIMO
HAS STVDIORVM PRIMITIAS
IN
PERPETVVM GRATISSIME ANIME
DOCUMENTVM
OFFERET
AVCTOR.

О Я Г А

ДИКАЯ ОПЕРА ВЪ

СОЧИТЕНИИ

ТВАРИ СОЛНЦА

СКРЫТОГО ГЛАГАЛА


САМОДЕЛЬНОГО МУЗЫКАЛА

СОСТАВЛЕНА ИЗДАТЕЛЕМ А. А. БОЛЫШЕВЫМ

ДОКУМЕНТАМЪ

ФОТОГРАФІЯМЪ

СОЛОВѢЯ



DE
NYCTALOPIA
SEV
CAECITATE DIVRNA.

SECTIO I.

DEFINITIO ET DIVISIO NYCTALOPIAE.

§. I.

Plurimum nyctalopia illud visus vitium dici solet, quo aegroti interdiu parum vel nihil, vesperi autem, ac noctu satis bene et distincte vident.

Verum




Verum haec nyctalopiae descriptio nimis angusta est, nec omnes, quae ad hunc morbum referuntur species, complectitur. Nyctalopes enim vel in clariori luce, vel tempore diurno parum aut nihil; in moderationi vero luce vel tempore nocturno, satis bene cernunt.

§. 2.

Nyctalopia proinde duplicitis est indolis; vel quantitas lucis cum hoc visus vitio in nexu causali est, vel non.

a. In priori casu nyctalops in loco lucido vel nullo vel obtuso visu gaudet, in loco tenebrioso vero satis bene videt. Praesentia morbi a quantitate lucis, vel a temporibus diei vel noctis pendet. Sunt nyctalopes, qui de nocte in loco, copiosis luminibus illuminato, nihil vident, et interdiu sat distinete cernunt, dummodo in loco tenebrioso versentur. Haec nyctalopia a vitio oculi pendet, quo irregularis lucis introitus efficitur.

b. In posteriori casu, quo quantitas lucis absque nexu cum hoc morbo est, nyctalopes de die



die prolsus nihil oculis discernunt, sive in clara luce sint, sive in locis obscuratis degant; verum tempore nocturno nulla ratione habita incis bene et acute omnia objecta oculis cognoscunt. Haec posterior, periodica et intermittens est caecitas, quae fortuito cum diei temporibus ita coincidit, ut interdiu aegroti a paroxysmo corripiantur, noctu liberentur. Hoc in casu causa unius morbi in nervo optico posita est.

§. 3.

Est et alia nyctalopiae differentia, ratione gradus, cum ea non inepte distinguatur in perfectam et imperfectam. Perfecta est, in qua aeger interdiu omnino nihil, et solum noctu recte videt; imperfecta, qua etiam de die videndi qualiscunque, sed debilitata facultas relinquitur. Praeterea pro varia ejus sede et origine, vario adhuc modo dividi potest. Constat enim, ejus causam non semper ipsi oculo inhaerere, sed quandoque aliis dissitis partibus, ex quarum consensu oculus laborat, hinc prout una aut altera ratio locum habet, dividitur in idiopathicam et sympatheticam. Porro prothopatica est, vel deuter.




teropathica, vel symptomatica, prout vel primus oculi morbus est, vel alios praegressos sequitur, vel praesentes morbos tanquam symptoma comitatur.

§. 4.

Nyctalopia nulla propria et pathognomonica habet symptomata, excepto illo, quod aeger interdiu omni vel distincto visu careat, qui eidem tenebrisoso tempore aut loco adest. Cuncta reliqua symptomata vel ad ejus causam, vel ad eum morbum pertinent, cuius symptoma est. Ejusmodi sunt oculorum dolor, rubor, lacrymatio, visus obscurus, maculae opacae corneae vel lentis crystallinae. Insuper nyctalopes lumen ordinarium raro sufferre queunt, continuo palpebris con- nivent, eas semiclausas habent, atque pupillis eorum continuus inest nodus ad coarctationem ^{a)})

*) Vide Guerrin Traité sur les maladies des yeux
p. 291.



S E C T I O I I .

DE C A V S I S N Y C T A L O P I A E .

§. 5

I. Causa proxima.

Qualecunque est impedimentum, quod oculum retinamque interdiu ad visum ineptam reddit, de nocte vero et in moderatori luce videnti facultatem haud impedit.

§. 6.

II. Causae praedisponentes.

I. Sensibilitas et irritabilitas nimium aucta, vel totius corporis, vel imprimis partium nervosarum oculi, iridis, retinae, palpebrarum etc. Hoc in casu fieri potest, ut stimuli vel directi vel indirecti ad oculum admissi, motus in illo irregulares, convulsiones spasticasque constrictiones producant, quae in die visum distinctum impediunt. Haec vero praeternaturalis oculi sensibilitas, et irritabilitas eum in gradum evehi potest,



est, ut per se ad nostri morbi originem sufficiat; et tunc non praedisponentis, verum etiam saepius procatarcticae vice fungi queat.

2. Debilitas oculi, quae frequentius cum irritabilitate aucta coexistit, et praeterea acrimoniuarum ad oculum depositioni plurimum favet.

3. Dispersione quoque haereditaria in quibusdam adesse videtur. Dantur integræ gentes nyctalopes, Leucaethiopes, qui toto die ob oculi photophobia vel nihil vel obscure, noctu demum et in moderationi luce recte vident.

§. 7

III. Causae occasionales.

Causae occasionales hujus morbi, quamvis haud ita magna copia existant, tamen commode ad binas classes referri possunt.

a. Ad primam classem causarum occasionaliū nyctalopiae, ea referto vitia, quae introitum lucis in oculum, ejusque ad retinam adventum irregularem efficiunt. Statis temporibus vel nulla lux vel ejus justo minor copia ad retinam pervenit. Retina et nervus opticus hic sani sunt.

b. Ad



a. Ad alteram classem refero vitia retinae et nervi optici, ne lucem acceptam justo modo suscipiant, et ad sensorium commune referant.

§. 8.

*Ad primam hanc classem cauſarum occasio-
nalium, quae nyctalopiam duntaxat symptomati-
cam et imperfectam producunt, sequentes nycta-
lopiae species pertinent.*

1. Nyctalopia a macula opaca in centro corneae, quae ejusdem ferme cum pupilla, de die coarctata, est amplitudinis. Macula haec in axe visus posita, pupillam a clara diei luce angustatam fere ex integro teget, sique plurimos lucis radios per eam transmittendos rapiet. Qua ex causa aeger de die parum, aut saltem minus distinete, videbit. Verum vesperi vel in crepusculari et moderatori luce pupilla dilatatur, et adeo ambitu suo major ipsa macula evadens, plures lucis radios per marginem apertum ad retinam usque transmittet, qui objecti sat distinctum imaginem praebent. Hoc igitur modo aeger clarius observabit objecta vesperi, quam interdiu.

2. Nycta-



2. Nyctalopia a cataracta imperfecta seu a macula in medio lentis crystallinae vel ejus capsulae posita. Haec causa eodem modo ut macula mediae cornae operatur. In plena luce enim pupilla ita contrahitur, ut omnis ejus apertura a loco obscurato lentis tegatur. Si vero in moderationi luce pupilla dilatatur, per ejus transparentem marginem lucis radii ad retinam transire possunt.

3. Nyctalopia a cataracta secundaria cum macula opaca et circumscripta in medio posterioris capsulae lentis crystallinae formatur. Macula talis quandoque effectus est inflammationis extractioni cataractae supervenientis. Non raro etiam ex puris vel muci molecula, post operationem cataractae in media pupilla seu lentis capsula relieta ibique condensata nascitur. Vide cl. *Ianin* b) *Maitre-Ian*, c) qui affirmat simul, agrotos, ob maculas post operationem cataractae recenter obortas, interdum nyctalopes evadere.

Omnis

b) Abhandlungen und Betrachtungen über das Auge. p. 239.


c) Traité des maladies de l'oeil, p. 268.

Omnis hae maculae recensitae, nyctalopiam magis vel minus perfectam efficiunt, si tali sunt et ambitu gaudeant, ut pupillam interdiu angustam omnino obtegant simul eo in gradu opaque sint, ut omnes lucis radios reflectant.

4. Nyctalopia a mydriasi. Hoc in casu pupilla praeternaturaliter dilatata nimiam lacris quantitatem admittit, quae retinam ita obstrupefacit, ne distincto visu gaudeat. Verum noctu lux cum debilior est, bene, immo cum simul per pupillam multum dilatatam, longe major numerus radiorum intrare possit, acutius ullo alio videtur aeger.

5. Nyctalopia a ptosi spastica et periodica, quae aegrotum mane aggreditur, et vesperi remittit. Hanc nyctalopiae speciem eo Lubentius hic recenseo, cum eam exemplo quodam, memoratu digno, illustrare possim, quod mihi sub exercitationibus clinicis illustris ac excellentissimi *Reil*, praecessoris nunquam satis colendi, hoc anno obtigerat, et cuius proinde gratia, hanc quoque dissertationem elaborandam sumpsi. Pergam autem in

prae-



praesentiarum in generaliori nyctalopiae tractatione, et in fine demum memoratam historiam morbi addam.

Haec intermittens et periodica ptosis, quae nyctalopiam efficit, duplicis est indolis pro varietate causae. Primo a paralysi periodica et diurna musculi levatoris palpebrae superioris oriri potest, suis signis cognoscenda. Secundo a spasmus musculi orbicularis palpebrarum periodico, qui interdiu existit, noctu remittit. De hoc casu nobis primario sermo erit. Provenit vel ab immediato vel mediato irritamento palpebris applicato. Sympathica ptosis plurimum hypochondriacis, hysterics et verminosis familiaris est. Quandoque a saburra primarum viarum aut ab exanthemate retropulso oritur; symptoma etiam suppressi mensium fluxus, suppressae transpirations, nec non choreac Sii Viti esse perhibetur. Noscitur haec ptosis spasmodica exarcta rigidaque palpebrarum clausura, quas digitis vix apperire possumus, palpebrae corrugatae et sub attactu non nihil regidiores deprehenduntur. Subinde spasmus non palpebras solum, verum etiam alios faciei musculos simul afficit, qui una convulsi vario modo distorquentur.




§. 9.

Ad alteram classem causarum occasionalium, quas ad vitium nervosum retinae seu nervi optici retuli, sequentes nyctalopiae species referuntur.

1. *Nyctalopia ab amaurosi periodica.* Paroxysmus mane incipit et circa vespertas desinit. Aegroti hoc vitio affecti sub paroxysmo interdiu prorsus nihil oculis discernunt, sive in loco obscurato, sive in luce vividissima ponantur; vesperi autem, paroxysmo absoluto, tam in loco lucidissimo, quam tenebricoso, sat bene vident. Causa hujus vitii ut plurimum in folidibus gastricis sita est, quod quoque periodicus ejus decursus indicare videtur. Nonnunquam febris intermittens larvata latet.

2. *Nyctalopia a nimia retinae sensibilitate.* Agroti, quorum retina praeternaturali sensitivitate praedita est, vel modicam lucem meridianam non ferunt, quin statim dolor, rubor et lacaymatio oculorum suboriatur: hinc debiliore quidem lumine, ut tempore vespertino, vident, fortiore vero, ut interdiu, perculti, caligant. Quod causas nimiae retinae sensititatis attinet, ad has paeprimis sanguinis in cerebrum validior



validior impulsus, plethora, oculi inflammatio, nimia fibrarum retinae tensio, siccitas, debilitas, acritatum varia genera, ac varia symptomata spastica referenda sunt. Plerumque ophthalmiis catarrhalibus et rheumaticis associatur. ^{d)} At ophthalmiae genuinae quandoque effectus nyctalopia est. **Hujus rei notabile exemplum legitur in Miscellaneis. A. N. C. Dec. I. Ann. I.** Homo chordam fidium tensorus, rupta corda sibi oculum vehementer contundebat, oculus inflammabatur, aeger de nocte minimas lineas imaginum et litteras librorum distinguebat, clauso oculo aegroto autem nil videbat, nec diei nec candelae lucem de nocte ferre potuit, hicce morbus post aliquot dies evanuit. Interdum etiam ab aliis diversis causis haec lucis photophobia oriri et nyctalopiam producere potest. Ita cl. Pellier ^{e)} exemplum foeminae allegat, quae a mensium suppressione nyctalopia infestabatur, nec prius ab ea libera evadebat, quam fluxus menstruus illi restitutus

^{d)} Richter Anfangsgründe der Wundartzneykunst.
B. 3. p. 483.

^{e)} Recueil des memoires et observations sur l'oeil,
p. 414 - 416.

tutus esset. Aliud celeb. Boerhave f) exhibet, hominis, qui ebrius de nocte etiam minimas libro-
rum litteras distinguere poterat.

3. Nyctalopia a nimia pupillae coarctatione. Haec quandoque inflammatio-
ria, quandoque spastica est. Pupilla ultra mo-
dum sensibilis in luce meridiana valde contrahitur,
ut sufficientem ad visum distinctum radiorum co-
piam non admittat; quare mirus recte interdiu
videt aeger: e contra vespera ingruente et noctu,
cum lux debilior fibras orbiculares iridis non adeo
stimulet, coarctatio remittit, et videndi facul-
tas restituitur.

4. Nyctalopia a statu corporis hysterico, cui praeter naturalis irrita-
bilitas et sensibilitas oculorum jun-
cta est. Hujus speciei exemplum adducit cl.
Richter. g) Haec hypochondriacis ac hysterics
subjectis infesta est.

5. Nyctalopia a desuetudine lu-
cis. Qui in locis obscuratis e. gr. carceribus
inclusi

f) De morbis oculorum Goet. 1746.

g) l. c. 482.




inclusi degunt, non nunquam ex illis liberati, statim in luce meridiana nil vident, et si pupilla contrahatur. Nam tanta oculis ad lucem sensibilitas, ex ejus diutino defectu, inducta est, ut vel minimam aegre ferant. Hi homines in locis obscurioribus diutius inclusi, tantam nervi optici mobilitatem nanciscuntur, ut a debilissima luce irritentur, et in tenebris minima objecta circa circum videant. Hanc acutiores visus facultatem obstupefacit clarior lux. Citatur ejusmodi exemplum a cl. Boerhavio.^{h)}

6. Denique nyctalopia endemica est. Leucaethiopes omnes in sole caecutiunt, noctu demum distinete vident. ⁱ⁾ Noctuae pluraque alia animalia, praecipue ea, quae alba pelle irideque rubra gaudent, eodem visus vitio tenentur.

^{h)} I. c. p. 131.

ⁱ⁾ Vide Halleri Elem. Phys. T. v, p. 490.



SECTIO III.


DIAGNOSIS ET PROGNOSIS NYCTALOPIAE.

§. 10.

Pauca de diagnosi et prognosi hujus morbi dicenda habemus. Diagnosis semper in comperto est, quippe quae ex symptomatibus et ipsis aegroti relatione jamjam innotescit. Ceterum diagnosis causae, morbi primarii seu secundarii, ob medelam faciendam, probe nosci debet. Hinc omnia, quae morbum praesentem antecesserunt aut comitantur, accurate perpendenda sunt.

§. 11.

Quod prognosia attinet, haec in genere ex causa morbi praesentis, ex natura morbi cuius symptoma vel reliquia est, et ex morbi complicati natura ejusque magnitudine petenda est. Quo facilius est, causam hujus affectus tollere morbum que complicatum persanare, eo melior prognosis sit, oportet.



SECTIO IV.

CURATIO NYCTALOPIAE.

§. 12.

Quamquam nyctalopia plerumque aliorum morborum effectus est, ideoque vix peculiaris curationis ratio obtinere videtur: non minus tamen scopo meo consentaneum censui, ut saltem breviter quaedam de ejus curatione differam.

§. 13.

Ut in quolibet morbo, sic in nyctalopia curanda, semper eo medico respiciendum est, ut causas remotas detegat, et detectas tollat. At causae, quae hoc in morbo remotarum nomine veniunt, ut plurimum per se jam veri morbi sunt, proinde in medela nyctalopiae praesertim contra hos agendum erit: nam his sublatis, etiam illa sanatur.

§. 14.

Primum inter causas occasioales nyctalopiae, quæpho & quo enumeratas, corneæ maculae occur-

currunt. In harum medela cumprimis ad causarum diversitatem respici oportet; magni enim refert, an ab interna aut externa causa ortae sint. Remedia, quibus in illas utimur, sunt vel externa vel interna. Haec indicantur, si maculae ab interna quadam causa originem trahunt, v. gr. ab acrimonia arthritica, scrophulosa, venerea, exanthematica, aut alia. Illa potius adhibentur, si maculae vel a causa locali ortae sint, vel si a causa quidem interna prolatae, tamen post eam sublatam, non abeant. Saepius etiam utraque remedia interna cum externis invicem conjunguntur.

§. 15.

Remedia interna, quae externis simul combinatis, contra varias acrimonias laudantur, varia sunt pro diversa acritatum natura. Ubi maculam acrimoniae arthriticae iure adscribimus, interne gummi guaiacum, et illicem aquifolium; externe vero resolventia, praecipue mercurium dabimus: Si acrimonia scrophulosa corneae maculam produxerit, interne antiscrophulosa profundit, scilicet antimonia, cicuta, aconitum, externe autem mercurius, fel tauri, extractum cicutae, sal volatile



tile cornu cervi k). Contra maculas ab acrimonia syphilitica productas, mercurialia tam interne, quam externe optimo cum effectu dantur, nempe interne mercurius dulcis, externe unguentum citrinum et ophthalmicum rubrum. Si macula ab exanthemate quodam retropulso orta est, eo medelam dirigi oportet, ut exanthema reproduatur; quod si minus fiat, vel convenientia adversus retropulsas acrimonias medicamenta adhibenda, vel si earum indoles omnino lateat, ea saltem administranda sunt, quae acrimonias temperant et evacuant. Huc faciunt vesicatoria, setacea, fonticuli, decocta purificantia, et lenia laxantia, praecipue mercurialia, ut acrimoniam ab oculo derivemus.

§. 16.

Remedia externa, quorum efficacia contra maculas cornea summa est, in duas possunt tribui classes: vel emollientia, vel resolventia et roborantia. At perinde non est, quo genere pharmacorum utamur, semper pro varia macularum natura, quam habitus earum externus indicat,

haec

k) Vide Reil memorab. clinic. medico - practic.
Vol. I, p. 186 — 188.

haec vel illa adhiberi debent. Inter emollientia, quorum numerus non exiguis, praevalet axun-
gia viperarum ¹⁾, oleum nucis iuglandis, oleum amygdalarum. Resolventium et roborantium nomine praecellunt borax ^{m)}, Sal ammoniacum, aqua benedicta Rulandi ⁿ⁾, Saccharum album, mercurius dulcis, mercurius sublimatus, mercurius gummosus Plenkii, vitriolum album, alu-
men, aliaque plura adstringentia vegetabilia et mi-
neralia. In applicatione autem horum remedio-
rum, eo annitendum est, ut maculae ipsae, quan-
tum fieri potest, adducantur: hinc apta forma vel
in oculum instillari, vel penicillo maculae illi-
niri debent ^{o)}.

§. 17.

Nystalopia, quae a cataracta lentis crystal-
lineae vel eius capsulae producitur, huius morbi
primarii curationem exigit. Haec vero tentatur
vel per medicamenta vel per operationem chi-
rug.

1) Vide Reil l. c. p. 172. No. 66,

m) Reil l. c. p. 189. No. 101. Seq.

n) Selle medicina clinica p. 599.

o) Reil l. c. p. 133.



rurgicam. Medicamenta tunc solum proderunt, ubi iure exspectare possumus, catara&tas ab acrimonio quadam specifica ortas fuisse, v. gr. ab acrimonio venerea, arthritica, scrophulosa etc.; ubi eadem remedia, quae paulo ante contra hasce acrimonias in medela macularum corneae innui, adhibenda sunt.

Causa ignota, raro opacitatem solvere valemus, laudantur vero in catara&ta incipiente, interne extractum aconiti, pulsatillae nigricantis, hyosciami albi, mercurius dulcis, millepedum succus, atque etiam electricitas. Externe fonticuli, setacea, et vesicatoria nuchae imponenda sunt. Dum haec non iuverint, operatio haud raro cum successu instituitur.

Eadem medicamenta resolventia in catara&ta secundaria laudantur, iis autem nil proficienibus, nova operatio, et destru&ctio lamellae opacae instituenda est.

§. 18.

Si nyctalopiam mydriasis effecerit, haec pro causarum diversitate curari debet. In mydriasi a paralysi fibrarum orbicularium iridis, prosunt anti-

antiparalytica, irritantia, roborantia, scilicet electricitas, vesicatoria, millepedes, valeriana etc. Mydriasis spasmodica exigit, nervina, opium, valeriana et corticem. Mydriasis a vermibus curatur anthelminticis et purgantibus; his propulsis et mydriasi tamen remanente, profundunt sedativa, opium, valeriana et balneum oculorum ex floribus papaveris albi cum laete tepido. Ast fere semper etiam curatio palliativa, cuius ope nimia lucis quantitas ab oculis arcetur, in mydriasi requiritur; hinc convenientia oculorum tela sericea viridi, obvelationes, perspicilla viridia, aut tubuli Boerhaviani.

§. 19.

Nyctalopia, quae a ptosi spastica periodica et ab amaurosi periodica oritur, ut febris intermittens, emeticis et purgantibus, quia causa materialis plurimum in primis viis latet, et repurgatis his, demum cortice peruviano sanatur. Quodsi aliae causae adsint, medela secundum eas quovis modo dirigenda est.


§. 20.

Dum sensibilitas nimia retinae vel iridis causa nyctalopiae est, ea quae irritabilitati ex sensibilitate



tati praeternaturali originem praebere possunt, sedulo indagari debent. Igitur in phlogosi oculorum praesente, cura pro varia eius natura et magnitudine, fiet interne methodo antiphlogistica, revellente, refrigerante; externe autem prerum conditione leniora vel fortiora repellentia ophthalmica convenient. Si acrimonia in causa est; uti in ophthalmiis catarrhalibus, rheumaticis aliisque contingit, hae vel specificis saepius dictis, vel generalionibus oppugnandae sunt. At ferme semper his cum remediis in ipsam causam directis remedia sensibilitatem nervosam minuentia coniungi oportet. Optime conductit hunc in finem mixtura ex vino antimonato Huxhami cum tintura thebaica; cuius unum ingredies acrimonias pellit, alterum nervorum sensibilitatem suppressit. Externe vero eadem tintura thebaica una alterrave guttula oculo quandoque instillata, summa et miranda saepe pollet efficacia: nam minuit nervorum sensibilitatem nimiam, vasculorum actiones acritatumque ferofarum evacuationes auget, nec non dolores magnopere mitigat.

Quodsi cum aucta oculi irritabilitate, debilitas nimia adsit, praeter antispasmodica etiam robo-




roborantia interna requiruntur. Plurimum tunc praestabit radix valeriana, oleum valerianae, cortex peruvianus, opium et balnea oculi frigida.

§. 21.

In nyctalopia a desuetudine lucis orta, omnis medela in eo vertitur, ut aeger sensim sensimque oculos luci assuefaciat. Palliative interea, ne oculus nimia luce interdum percellatur, aut plane laedatur, peplo viridi, vel quod praefstat, tubulis Boerhavianis muniti potest.

HISTORIA MORBI.

Puer duos annos et dimidium natus, satis alacer et laudabiliter nutritus, primo suae aetatis anno crusta lactea infestabatur, qua ultra annum iam exercitatus, tandem sensim ac sensim libera-batur. Hoc malo sublato, utcunque bona ad-huc gaudere videbatur sanitatem; attamen non diu post, variolis spuriis correptus, varia symptomata, labem rachiticam indicantia, sece manifestarunt. Infans in dies magis debilitabatur, articuli tume-re, ossium extrema protuberari atque tibiae cur-vari incipiebant, ita ut oarnibus flaccidis, emol-litis et debilitatis, vix amplius pedibus insistere vale.



valeret. Insuper pone aures intertrigine, ac ipsius auris sinistram exulceratione perpetua infestabatur, nec non continuum lymphae acris e naribus stillicidium a longo retro tempore experiebatur. Dic haec, licet fracta sanitate, sine manifesta tamen aliis functionis laesione perferebat. Verum quam primum aliquando stillicidium hoc narum, cum intertrigine aurium simul evanescente substituerat, etiam brevi abhinc mater infantem affectu quodam palpebrarum oculi premi observabat, quem nunc utpote memoratu dignissimum, exacte quoad eius symptomata descripturus sum.


Habebat se affectus hic sequenti ratione. Infans quovis mane e somno evigilans oculos palpebris firmiter clausos exhibuit, quin tamen haec muco conglutinatae essent, eosque clausos per totum diem ad vesperam usque tenebat, qua autem apparente, cum palpebras prius manibus non nihil fricasset, mox aperuit. Hac ratione affectus hic quotidie paroxysmi instar ingruebat, ac per duas ferme septimanas eodem semper modo perseverabat. Quare jam mater opem medicam a schola clinica die 15. Iulii hujus anni exploravit, Nos in veram hujus affectionis indolem indagantes, examini accuratiore infantem aegrum

sub-

subjecimus, oculos optimos sine ullo apparente
vitio externo reperiebamus, palpebrae modo na-
turali se habebant; at si vel quid praesente in ca-
su notari mereretur, hoc unicum adnotasse vel-
lem, infantem hunc cilia solitis duplo longiora ha-
buisse. Tempore paroxysmi palpebras maxima-
vi adeo arcte clausas offendebamus, ut eas nec
manus interventu a se invicem diducere possemus,
palpebrae vehementer contractae, corrugatae et
sub attacitu non nihil rigidiores deprehendebantur.
In comperto erat, hanc palpebrarum clausuram
a spasmo musculi orbicularis produci: at hic spas-
mus non palpebras solum, verum etiam alios
musculos simul invadere videbatur, nam saepe plu-
res faciei musculi subito una convulsi, vario modo
distorquebantur, nec raro aeger, etiam extra
tempus paroxysmi convulsivis motibus agi, et miris
digitorum gesticulationibus ludere solebat. Pa-
roxysmo absoluto infans interdum nictitare et pa-
pebras manibus fricare assolutus est, quandoque
de dolore oculorum querebatur, qui lacrymaban-
tur, praesertim ubi luci meridianae vivaci or ex-
positus esset.


Quoad reliquias corporis functiones, praeter
symptomata rachitica, praecipue symptomata ga-
strica eminebant.

In



In causam hujus affectionis diligentius inquisivimus; at examine inito nihil erat, quod certo huius vitii accusaremus, Acrimonia quaedam latuisse videbatur, atque vermes suspicabamur, quamvis nulla horum adfuissent symptomata manifesta. Ratione medelae, primum morbum rachiticum antigastricis aggrediebamur, quibus simul ob vermium suspicionem anthelmintica combinabantur; evacuabatur et magna pituitae quantitas, sed vermes nec mercurio aliquisque anthelminticis exhibitis unquam cessere. Pone autem vesicatoria applicabantur, nec non interne vinum antimoniatum Huxhami cum tintura thebaica exhibitum fuit, unde lacrymatio et dolores oculorum ad lumen meridianum, statim minuebantur et sensim remiserunt. Tandem et horum remediorum auxilio, paroxysmus morbi eum in gradum abbreviabatur, ut nunc hora undecima antemeridiana oculos aperiret. Ast hoc modo nunc per satis longum tempus, morbus immutatus perstebat. Tentavimus aliquoties laudano liquido Sydenhami, palpebris inundato, spasmus solvere, ac paroxysmum breviare; vere spasmus mox inde remisit, et aeger oculos aperuit: attamen brevi post laudani via evanida, spas-

mus



mus reversus, demore continuabatur, donec hora undecima plane solveretur.

Aliud subesse suspicabamur, scilicet febrim intermittentem larvatam latere, hinc cortex peruvianus, quem modo labes rachitica quoque exposcebat, in usum vocabatur, qui unciae unius forma infusi adhibitus, tantum quoque paroxysmum imminuit, ut aeger post dimidiam ab evigilatione horam nunc aperiret oculos, alias multo diutius clausos. Contigit haec paroxysmi abbreviatio die sexta Augusti; ab hoc tempore, nulla eius mutatio porro obtigit, cortex et alia ratione huius affectus incassum tentabantur. Interim reliquae affectiones spasmodicae, ut varius ille digitorum lusus, muscularum faciei convulsio, ex integro remisere, ac rachitis quoque in melius mutata conspiciebatur. A sexta Augusti die ad finem mensis usque paroxysmus, nt indui, per dimidiam tantummodo horam quotidie ingruebat; at hisce diebus, cum aeger maligno variolarum genere corriperetur, et de vita decederet, omnis ulterior observandi occasio rescindebatur.

THESES.

I.

Febris puerarum plerumque gastricae indolis est.

II.

Exanthema miliare, quo et puerperae quandoque corripiuntur, semper symptomatum est.

III.

Malum hypochondriacum, hystericum et arthritis ejusdem videntur esse originis.

IV.

Magna est hirudinum vis ad ophthalmias quasdam sanandas.
